

bekanntlich auch die steirischen Klöster Admont (1554) und St. Lambrecht besucht hatte, aus den Urkunden ein Verzeichnis der Aebtissinnen zusammengestellt habe. Amalia errichtete bei der Filiale St. Erhard ein Spital. Zu Luttenberg kaufte sie einen Weingarten genannt der Schwarz. Ein Fräulein Catharina von Liechtenstein, welche als Pensionärin im Kloster starb und beim Catharina-Altar der Hofkirche beigesetzt worden war, hinterliess ihr Erbtheil nebst einer silbernen Kanne und einem Ringe dem Kloster.¹⁾ Der Caplan zu Niklasdorf Andrae Vogel bestimmte einen grossen Theil seines Vermögens zu einer Jahrtagsstiftung in der Klosterkirche.²⁾ Ferner berichtet die Chronik: „Sie (die Aebtissin) hat auch angehebt, den Stokh, wo die Abbtley stehet, aus grosser Not zu bauen, aber nit gar vollendt. Dieser Stokh hat 800 fl. khostet“ Sie liess das Grabmal der Stifterin Adula erneuern und vollendete den Schanzenbau um das Kloster herum. In der Hofkirche entstanden vier neue Altäre. An Kriegsbeiträgen und Anleihen verzeichnet die Chronik: Im Jahre 1545 Wartgeld 250 fl. In der Einlage des Goesser Güldenbesitzes war ein Irrthum geschehen. Es waren 1375 Pfund Herrengült statt dem thatsächlichen 1198 Pfund beansagt worden und daher forderte man vom Kloster 14 anstatt 12 Rüstpferde. Im Jahre 1556 wurde ein Darlehen von 1500 fl. verlangt. Die Anleihe des Jahres 1562 betrug 1700 fl. und das Wartgeld für zehn Pferde machte 250 fl. Im Jahre 1565 kamen auf das Kloster 12 Pferde und 50 Büchsen-schützen.³⁾ Aebtissin Amalia ist nach dem Reiner Todtenbuche am 14. März 1566 aus dieser Welt abberufen worden. Ihr Grabstein ist noch vorfindlich.

(Fortsetzung folgt im nächsten Heft.)

Series critico-chronologica Hagiographorum decimi saeculi.

Opera R. P. D. Bedae Plaine, O. S. B., in ordinem redacta.

Praeambula.

Supposititiae sunt ac merae fabulae reputari debent animorum insolita trepidatio, prostratioque virium sive intellectualium, sive corporearum, quibus juxta quorundam commenta neotericorum seu catholicorum non recte in hoc opinantium, subditus fuerit, exeunte decimo seculo, populus Christianus. Res a pluribus jam

¹⁾ Sie war wahrscheinlich eine Tochter des Achaz von Liechtenstein und Schwester der nächstfolgenden Aebtissin.

²⁾ Chronik 35. Das Inventar (S. 39) schreibt, dass diese Stiftung unter der Aebtissin Benigna (!) im Jahre 1565 (!) geschehen sei.

³⁾ »Mitth. d. histor. V. f. St.« XXV. 91.

plane et solide probata est,¹⁾ nec nostri est propositi hanc sopitam denuo excitare controversiam. Verumtamen, quod sincere fatemur, anarchia politica, quae Caroli Magni mortem statim subsecuta est, et novae Barbarorum infestationes, quibus haec anarchia praebuit ansam, et quae tam multiplices fuerunt exeunte nono et inchoante decimo seculis, innumera secum adduxerunt mala, ac praesertim turpissimam morum corruptelam cum quodam dedecoroso litterarum neglectu. Unde quidquid magnus imperator tam alaeri animo, et tam feliciter inchoaverat, sive ad bonos mores corroborandos, sive ad litteras et artes reparandas ad nihilum fere redactum est; sed nihilominus in hac tristissima epocha, nunquam totaliter Ecclesiae defuerunt, ut somnium est aliquando, litterati et eruditi, theologi et philosophi, historici et hagiographi.

Nam scientiae litterae et artes inviolabile in his circumstantiis invenerunt asylum tum apud clerum, tum praesertim apud Monachos, qui uniformiter tunc temporis Regulam S. Benedicti tanquam unicam habebant normam; nam ex monasteriis prodierunt fere quotquot scriptores de quibus inferius tractabitur.

Aliunde viri docti et litterati sunt quasi necessarii in qualibet hominum societate bene ordinata. Etenim si mens humana aliquando, experientia teste, sopitur in individuo, sopiri similiter nequit in tota hominum multitudine. Unde nemini mente sano incredibile videri potest quod scientia humana, quae semper ad progressum vergit, in progressu revera versata est sub pluribus respectibus, decima aetate suum cursum peragente. Horum progressuum certitudinem testantur et evincunt inter alia hujus aetatis monumenta, ea, quae sequuntur:

1. Correctoria biblica in lingua limosina pro prima vice tentata.²⁾

2. Prima scripturae sacrae versio Anglo-Saxonica. — Auctorem habet Aelfricum haec tractatio, luceque publica donata est Oxoniae, in anno 1698.

3. Glossarium Graeco-latinum.³⁾ Primum cujus mentio habetur.

4. Primum Almanaque (gallice *Almanach*) notum.⁴⁾

5. Aliquot smalta Byzantina, rarissimae perfectionis.⁵⁾ etc. etc. His breviter elucidatis, venio ad Hagiographiam, quae sola hodie ad me spectat.

Hic scientiae ramus prae aliis et majori studio tunc temporis excultus fuit: quippe circa quem fere omnes hujus aetatis scriptores

¹⁾ Confer: »Revue des Questions historique« n. de janvier 1873. — Rey: L'An Mille. Paris 1885 etc. etc.

²⁾ Berger: Essai fait au X. siecle pour la correction de la Vulgate. Lausanne, 1883, in 8°.

³⁾ Inter Codices Laudunenses inscribitur sub numero 444.

⁴⁾ Revue des langues romanes, t. 3, p. 133.

⁵⁾ Garnier: Histoire des Emaux, p. 382 et alibi.

aliquo modo versati fuerunt. Hinc plurium Vitae primigeniae sanctorum, qui Ecclesiam istis diebus decoraverunt, a discipulis seu familiaribus statim post eorum mortem scripto mandatae fuerunt.

Majori tamen numero computantur auctores, quorum scripta pro objecto habebant gesta, virtutes et miracula Sanctorum, qui vixerant in seculis praecedentibus. Quod sapientissime, Deo miserante, fuit provisum. Evolvamus mentem nostram.

In illis diebus luctus et desolationis, calamitatis et miseriae Normanni, Hungari et Sarraceni ex una parte monasteria et alia loca sacra, instigante diabolo, solo aequabant, corpora et reliquias Sanctorum violabant, vitas vero eorundem Sanctorum et alia similia flammis tradebant ut isto modo martyrum et confessorum Christi penitus delerentur nomen et memoria. Attamen ex altera parte, providente misericorditer Deo, episcopi et abbates, clerici et monachi omnem operam dederunt ut ex impiorum manibus eriperentur tot immensi pretii et diversi generis thesauri. Hinc multorum corpora sanctorum translata sunt et in locis tutis recondita: hinc frequenter una cum corporibus Sanctorum allati sunt etiam codices, qui antiquas eorum vitas continebant. Insuper multis vicibus ubi excidit textus harum vitarum primigenius, eadem vitae de novo litteris exaratae fuerunt tum ex traditionibus superstitionibus, tum ex recordata lectione praecedenti seu ex chronicis et scriptis consimilibus. Quanam vero auctoritate polleant hae novae Sanctorum vitae? questio est multipliciter intricata, solutioque danda pendet ex circumstantiis. Aliquoties acriter assertum fuit scriptiones hujus generis nihil aliud esse quam meras imitationes seu adaptationes gestorum cujusdam sancti alteri sancto factas: quo casu, talis scriptio nulla auctoritate gaudere posset. Sed multa discretione et saniori judicio, ne error admittatur, hic opus est. Nam non raro inveniuntur hagiographi, qui sese primitus vitam alicujus sancti litteris exarasse testantur, licet revera nihil proprio Marte finxerint, licet quidquid asserant seu a scriptis praecedentibus mutuatum fuerit, seu annumerandum sit inter res, quae indubie ex sola traditione noscuntur. Quo duplici casu isti auctores minime, ut patet, mythis et fabulis vacant sed studiosi veritatis amatores nuncupari merentur.

Afferatur in exemplum hujus ultimi casus Auctor Vitae S. Urbani Lingonensis episcopi († 23. jan. 390). Iste scriptor candide asserit „quod ante eum nullo hominum studio vita istius episcopi fuerit tradita litterarum monumentis.“¹⁾ Unde concluderent severioris notae criticistae hunc scriptorem nulla esse fide dignum. Sed si ipsius scriptionem sedulo expendamus, videbinus quod post quinque lineas narrationi rerum gestarum a Sancto

1) Prolog. Vitae S. Urbani, n. 2.

dicatas, et in quibus nihil dicit nisi quae omnes facile noverant, reliqua omnia miraculorum seriei, quae tempore ipsius biographi contigerant, deputantur; unde ipsum auctoritate gaudere concludendum esse videtur.

In probationem vero bonae fidei et ardentis studii veritatis, quibus accendebantur illi, qui de novo post vastationem Normannicam scripto exarabant vitam Sanctorum antiquorum, adducamus verba biographi S. Jacuti Abbatis Britonis. Sic se exprimit: „Qualiter certitudo hujus opusculi ad nostram notitiam pervenerint fidelibus ad hoc innotescere volumus ne aut ex parte nostra fictitium videatur aut relationi nostrae minus eredant. Accidit ut in eodem loco, in quem Beatissimi confessoris Jacobi corpus delatum est, inter sacratissima illius ossa cervino corio inclusa, libellus repertus est in quo et genealogiae illius ortus, et vitae ordo invenitur descriptus. Quo quidem libello prae nimia vetustate marcido et in margine paginae exterius putrefacto, divina tamen providentia ita scriptura interius reservata est, ut nihil de materia imminutum, nihil de intellectus sensualitate remaneret confusum. Nos itaque pro modulo nostro veritatem ibi inventam curavimus explicare, et verborum tepetudinem simpliciter positam aptiore et lucidiore stylo mutare.“¹⁾

His breviter praelibatis, nunc ad recensionem hagiographorum decimi seculi accedimus: in qua ordinanda coevi scriptores nomine proprio insigniti nec ab anonymis similiter coaevis, nec a scriptoribus secundae manus seu retractatoribus discernentur, sed simpliciter unusquisque eorum, unus post alium prosiliet secundum seriem annorum nisi aliter fiat aliquot vicibus, suadentibus circumstantiis.

1. Aldhelmus Sagiensis.

Aldhelmus ex monacho Anisolensi episcopus Sagiensis (880—920?) jam doctrina et pietate clarescebat in ultimis annis noni seculi sed pertinet etiam decimo seculo, siquidem dedicavit Franconi archiepiscopo Rotomagensi (909—919) librum, quem composuerat *Benedictionum Missalium*.²⁾ Huic episcopo debentur duo libri de Vita et Miraculis S. Opportunae, Abbatissae (22. april 770). Primus liber de gestis S. Opportunae tractat. et scriptus est pro utilitate diem festum Beatae celebrantium audita relatione „virtutum ejus.“³⁾ Secundus vero pro objecto habet miracula ejusdem sanctae: „quae scribemus, ait biographus,“ partim sicut vidimus, partim „sicut ab aliis audivimus.“⁴⁾ Pie, aliunde, correcte narrat iste episcopus Sagiensis, cui etiam non deest elegantia sermonis.

¹⁾ Prologus in vitam S. Jacobi, quae recentissime edita est a R. P. Carolo de Smedt, Bollandiano in suo Catalogo Paris. t. 1. p. 578 et seq.

²⁾ Histoire litter. de la France, t. 6. p. 133 et 134.

³⁾ Prologus libri primi Vitae S. Opportunae.

⁴⁾ Prologus libri secundi.

2. Anonymus Remensis.

Aderit secundo loco quidam anonymus Remensis, qui nobis reliquit compendiosam relationem Vitae, translationis et miraculorum S. Rigoberti, Episcopi Remensis († 4. jan. 750). Tempus scripti-
onis determinatur ex eo quod loquitur auctor (n. 12) de episcopo Fulcone (883 – 900) et de quodam Monacho Sigloardo nuncupato, qui teste Flodoardo (Hist. Ecclesiast. Remensis liber 2, c. 15) ineunte decimo seculo adhuc vivebat. Huic scriptiōni deest prologus, unde ignoratur quibus e fontibus hauserit iste biographus, sed aliunde simplici et correcto fruitur stylo ac multa, quae sunt alicujus momenti pro historia ecclesiastica refert et narrat.

3. Anonymus S. Basoli.

Iisdem annis scribi debuit prima (saltem ad nos allata) vita S. Basoli eremitaе (26. nov. 620)¹⁾ ab anonymo monasterii ejusdem nominis in Campania monacho conscripta, sed multis annis post elevationem sacri corporis ab Hincmaro (13. oct. 872) factam,²⁾ ac proinde non ante decimi seculi initium. Equibus vero fontibus desumpserit iste anonymus, res est dubia. Nam si tacet de virtutibus sancti, quae post obitum ejus patratae sunt, quia scriptae non fuerunt,³⁾ multa tamen narrat de circumstantiis vitae, et de virtutibus ipso vivente factis, „quae a veracibus senibus audivit.“⁴⁾ Porro qui sunt hi senes, nisi Basoli primi biographi quorum pedissequus erat noster anonymus? Haec fuit, ni fallor Adsonis sententia Dervensis, de quo agetur paulo inferius, qui scribens de novo vitam S. Basoli „multa tum ex memoria antiquorum tum ex ore fidelium se collegisse refert“⁵⁾ quamvis revera ejus scriptio nihil aliud sit quam mera defloratio nostri anonymi paraphrastica.

4. Anonymus Belgae.

Cuidam anonymo Belgae Seculi decimi ineuntis debetur vita encomiastica S. Amati, Episcopi Senonensis ac postea abbatis Broylensis in Belgio (13. sept. 690). Hujus Sancti primigenia vita antea jam descripta fuerat ab alio anonymo sed perbrevisiter et ante ejus translationem Duacensem, quae contigit circa annum 870. Anonymus vero, de quo hic loquimur eandem vitam de novo conscripsit politius, et fusius post hanc translationem, de qua facit mentionem expressam⁶⁾ quae lucubratio jure merito luce publico recentissime donata est.⁷⁾

1) Acta S. O. S. B. t. 2. p. 59 et seq.

2) Vita S. Basoli n. 13.

3) Ibid.

4) Vita S. Basoli n. 12.

5) Eadem Vita ab Adsonē scripta, n. 4.

6) Prolog. Vita S. Amati.

7) Analecta Bolland. t. 5. Catalog. p. 45—59.

5. Duo anonymi Ghisleniani.

Alius anonymus Belga monachus Ghislenianus ut videtur, litteris exaravit, more panegyrici, partim ex scripturis antiquorum partim ex ore populorum,¹⁾ Vitam S. Ghisleni (9. oct. 681) fundatoris celeberrimi ejusdem nominis monasterii. Porro tales et tam numerosae sunt locorum et personarum circumstantiae, quas refert iste scriptor, post dua et amplius elapsa secula, ut indubitanter cartulae antiquae, de quibus agit, nihil aliud esse potuerint quam quaedam vita primigenia ejusdem sancti a familiari seu suppare descripta et hodie deperdita. Hinc concludere licet istum anonymum, qui aliunde optime callebat linguam latinam, non videri fide et auctoritate indignum esse; et de facto talis habitus est ab aliis biographis S. Ghisleni, Rainerio Leodiensi, Philippo de Harveng et aliis siquidem ex ejus sola scriptione fere quidquid de eo retulerunt, mutuaverint. Occasione nacta, locum dabimus in praesenti indice alio anonymo Ghisleniano qui paucis post annis, id est circa annos 930—950 clare et simpliciter sed fideliter scripsit libellum quemdam de Inventione et miraculis ejusdem Sancti Ghisleni suo tempore patris.

6. Joannes, diaconus Neapolitanus.

Joannes Neapolitanus, praeter *Chronicon Episcoporum Neapolitanorum*, quod scribere debuit circa annos 879—890, et in quo inseruit aliquot vitas Sanctorum,²⁾ alia quaedam scripsit mere hagiographica opuscula scilicet 1. Translationem S. Severini e Norico ad Lucullanum monasterium (anno 910 peractam). 2. Acta et translationem S. Sosii Misenatis (19. sept. 305?)³⁾, in quibus „nihil irritum, nihilque ambignum ponet . . . quae vero sunt de inventione et translatione corporis, ut testis, qui interfuit, retulit.“⁴⁾ 3. Versionem latinam (ex graeco) Vitae S. Mariae Aegyptiacae. (2. apr. 450?)

7. Anonymus Herbipolensis.

Decimo seculo ineunte, ut probabile videtur, scripta sunt vita et miracula S. Reginswindae virginis et martyris (15. jul. 840), innocentis puellulae septem annorum quae crudeliter necata est a nutrice furiosa. Iste anonymus refert simpliciter et correcte ea „quae a sacerdotalibus personis ad ejus pervenere notitiam“⁵⁾ nihil addens ex quo ejus aetas seu qualitas melius dignosci possint.

1) Vita S. Ghisleni n. 16.

2) Ex hoc chronico desumpserunt Socii Bollandiani: 1. Vitam S. Joannis Episcopi Neapolitani. 2. Vitam S. Athanasii similiter episcopi Neapolitani, et forsitan aliquot alia quae nos fugerunt.

3) Acta SS. t. 6 sept. p. 874—883.

4) Ibid. prologus.

5) Prologus in Vitam St. Reginswindae.

8. Anonymus Italus.

Alius anonymus Italiae meridionalis scripto mandavit miracula S. Eupuriae Virginis (16. maii 400?) ut ea acceperat ex testibus oculatis. Bona fide narrat et fatetur nihil sibi notum esse de patria et gestis hujus Sanctae. Aliunde quando scribebat iste auctor, inter vivos adhuc computabatur quidam aeger, quem Sancta a sua infirmitate curaverat, sedente Bono in cathedra episcopali Cajetae ac proinde circa annos 880—900.

9. B. Notkerus.

Anno 912 contigit pretiosa mors B. Notkeri cognomento Balbuli, Monachi San Gallensis, eruditione et artis metricae peritia clarissimi. Illi debetur Martyrologium pro quo condendo multas Sanctorum vitas hodie deperditas inquisierat et collegerat: unde haec scriptio magni est pretii etiam post Usuardum. Sed infeliciter deficiunt saltem in impressis duo menses November et December cum quinque ultimis octobris diebus.¹⁾

Insuper multa poetice, scilicet, Hymnos, Sequentias, Responsoria et Antiphonas composuit idem Notkerus ad laudem B. Genitricis Dei Mariae Virginis, S. Stephani Protomartyris, S. Columbani et plurium aliorum Sanctorum.

10. Anonymus Paderbornensis.

Circa annum 915—930 conscribi debuit ab anonymo Paderbornensi secunda vita S. Liborii, Episcopi Cenomanensis (23. jul. 340?) cum translatione ejusdem e Cenomania in Westphaliam anno 836 facta. Bona fide et ex monumentis authenticis pie et eleganter omnia refert et narrat iste auctor.

11. B. Ratbodus, Episcopus Trajectensis (29. nov. 618.)

Apprime versatus erat in litteris sacris et profanis iste Praesul nobisque reliquit varia opuscula praesertim hagiographica, scilicet:

1. Quatuor sermones historicos simulac morales in laudem Sanctorum Suitberti, Lebwini, Amalbergae et Servatii.²⁾

2. Duo Carmina in honorem eorundem Suitberti et Lebwini.

3. Varia officia ecclesiastica pro praecipuis anni festivitibus: quae officia (proh dolor?) ad nos usque non pervenerunt.

B. Ratbodo uniendus est ejus biographus qui si non coevus et familiaris saltem suppar fuit. Pauca ex multis commemorat sed ea refert quasi accepta ab illis, qui rebus gestis interfuerant, neque sub silentio tegit sive nomina personarum, sive verba a Sancto ipso prolata.³⁾

¹⁾ Patrol. lat. t. 131, 1021—1163.

²⁾ Ille ultimus recentissime in lucem prodit, sub titulo; Sermo de gemina felicitate Confessoris et Episcopi Christi Servatii. — *Analecta Bolland.* t. 1, p. 104 et seq.

³⁾ Vita S. Radbodi, n. 4, 5, 13 etc. — *Acta SS. O. S. Benedicti*, t. 7, p. 26 et seq.

12. Cappidus Stauriensis.

A Ratbodo non secernemus propter communem patriam Cappidum Stauriensem qui paulo serius floruit in eadem regione doctrinaeque fama refulsit. Auctor est vitae S. Odulfi (12. jan. 865) et ei non deest concinnitas verborum cum simplicitate styli. Subaequalis erat biographus. Sanctum tamen nec vidit propriis oculis nec propriis audivit auribus.

Eidem Cappido attribuantur vitae deperditae Sanctorum Lebwini, Ogeri et Plechelmi.

13. Walterus, Helvetus.

Post Notkerum Balbulum se nunc exhibet alius Helvetus, Walterus nomine, ejus discipulus ac postea monachus Seckingensis, qui suo magistro dedicavit vitam S. Fridolini (6. mart. 540). Haec vita descripta est in circumstantiis, quae specialem hic merentur mentionem. Ita res sese habent teste ipso auctore. Liber, in quo continebatur apud Seckingenses vita antiqua S. Fridolini, ablatas fuerat tempore Normannicae vastationis¹⁾ Porro Walterus iter faciens, fortuito casu venit ad Monasterium Helerae juxta Mosellam. Ibi caritative susceptus est a monachis, eique sponte oblatum est duplex volumen, in quo continebantur tum Vita S. Hilarii Pictaviensis episcopi tum S. Fridolini ejus discipuli gesta et virtutes. Quod videns Walterus multum inde gavisus est ac humiliter petiit ut sibimet in mutuam ad tempus relinqueretur Liber Vitae S. Fridolini. Quae petitio vero ei denegata est. Quinimo Waltero defuit encaustum seu membrana ut dictae Vitae textum exscribere possct.²⁾ Veruntamen iste Monachus Seckingensis in suo proposito constans, tam studiose pluribus vicibus perlegit vitam S. Fridolini „ut memoriter retineret partim verba cum materia, partim solummodo materiam absque constructione verborum.“³⁾ Deinde reversus ad suum monasterium scripto mandavit ea, quae ante legerat, ut deinceps aliorum commendarentur memoriae. Et hoc cum tanta fidelitate peractum est, ut multi e sodalibus auctoris, qui eundem librum, antequam perderetur, legerant pluribus vicibus, profiterentur verum esse quod e Waltero conscriptum fuerat.⁴⁾

Quid amplius necesse esset ad merendam tali scriptioni fidem? non videmus. Nam ut patet, inerat in Waltero zelus veritatis. Si quid vero in seie dempsisset ex prima sancti vita vel ei addidisset, ejus sodales rem facile animadvertissent ad ejus damnationem dum e contra laudant commendantque quidquid ab eo

¹⁾ Prolog. in Vitam S. Fridolini.

²⁾ Prologus jam citatus.

³⁾ Ibid.

⁴⁾ Ibid.

litteris exaratum est. Haec vita S. Fridolini duobus constat libris, in quibus metrum et prosa passim intermiseruntur.

14. Radoinus, diaconus Alatrinus in Italia.

Circa idem tempus Radoinus, diaconus Alatrinus (vulgo Larino) in Apulia descripsit vitam et miracula S. Pardi presbyteri (26. maii 640?), qui primo episcopus in Peloponeso gregem inobedientem dereliquit veniensque Larum, ibi egit, assentiente Romano Pontifice, vitam solitariam et mortuus est ineunte seculo septimo antequam regno potiretur Constantinus, filius Heraclii. Cujus tamen vitam non litteris mandavit Radoinus nisi post inceptas sarracenorum infestationes. Unde constat eum valde esse dissitum a diebus Sancti. Aliunde paucissima refert de vita sui herois, pauca etiam de ipsius miraculis, in quibus tamen testis oculatus fuisse videtur. Insuper fucum et amplificationem non dedignatur iste scriptor: cujus aliunde tractatio manca est in cauda, nam conclusio deest.

15. Bertarius Viridunensis.

Presbyter Viridunensis Bertarius, posteritatis optime meruit, recolligendo gesta primorum Episcoporum Viridunensium ad resarcienda damna cujusdam incendii „quod voraverat libros nostros et memorias Sanctorum Patrum nostrorum.“¹⁾ Nam ut ipse narrat „licet infirmitate et tristitia attritus, quae de sanctis antecessoribus legi, et a fidelibus audivi, breviato sermone comprehendere commodum duxi, vobis quidem gratum, posteris autem utile.“²⁾ Caeterum nihil asserit Bertarius nisi quod certum est et indubitatum; alias tacet. Sic de S. Vitono nihil fere refert, quia defuerat primigenia ejus vita.

16. Stephanus, Episcopus Leodiensis.

Stephanus Leodiensis, unus fuit ex doctissimis Praesulibus sui temporis. Antiphonas, Responsoria et alia multa similis generis composuit in honorem Dei et Sanctorum ejus, quae in officiis ecclesiasticis admissa fuerunt, sed jam exciderunt injuria temporum. Idem recensuit Vitam et Passionem S. Lamberti Leodiensis de quo actum est in octavo seculo. „Ab iis, qui tunc litteraria videbantur scientia praediti, non minimum sumus despectuosis risuum injuriis laessiti“, ait auctor, „quia (juxta eos) non cauto eloquio edita erat vita S. Lamberti unde cupiebam quod nota hujus infamiae a nobis propelleretur.“³⁾

Sic simplicitati Gothescalci, quae tunc rusticitas videbatur, substituta est scriptio in qua frequenter intermiseruntur

¹⁾ Prologus in Gesta Episcop. Viridunensium. — Patrol. lat. t. 132, pt 507.

²⁾ Ibid.

³⁾ Prolog. in Vitam S. Lamberti.

prosa et metrum juxta morem et placita hujus temporis, sed in qua etiam non desunt fucus et mera amplificatio. Stephanus aliunde Godescalcum pedetentim sequitur, nihil fere novi addens.

17. Odilo Suessionensis.

Monachus erat S. Medardi Suessionensis Odilo magnaue doctrinae fama gaudebat. Pauca tamen nobis transmisit scripta scilicet: 1. Relationem translationis Roma Suessiones in anno 826 factae corporum seu potius alicujus partis corporum SS. Sebastiani Martyris et Gregorii Magni Papae, in qua conscribenda multum ei adjumenti praestitit schedula seu relatio primigenia Rodoini, qui praeerat huic translationi.¹⁾ Sat larga est haec scriptio et nitet elegantia sermonis.

2. Item scripsit de adventu et susceptione apud Suessiones SS. Tiburtii, Petri et plurium aliorum martyrum (828). Simplex est rerum gestarum epitome²⁾ ista scriptio sed plane concordat cum relatione magis extensa, quam antea conscripserat testis oculatus in seculo precedenti celeberrimus Eginhardus.

3. Eidem Odiloni debentur tres sermones historici ad laudem S. Medardi Suessionensis Episcopi (8. jun. 560). In secundo eorum loquens orator una de Medardo et de ejus germano Gildardo, Episcopo Rotomagensi, expresse asserit ambos sanctos ex eodem partu ad lucem prodixisse, eodem die gradum episcopalem accepisse, eodem die coronatos fuisse in coelis.³⁾ Unde in errore versantur Baillet, Socii Bollandiani, ac etiam plures historici Rotomagenses, qui hanc sententiam de titulis duorum geminorum Medardi ac Gildardi non apparuisse ante duodecimum seculum audacter asserunt.⁴⁾ Sed aliunde res incerta remanet obstante chronologia episcopatum Rotomagensium et Suessionensium.⁵⁾

18. Hucbaldus Elnonensis.

Hucbaldus monachus erat Elnonensis, et obiit plenus dierum circa annum 935, scriptis multis libris „Peritia liberalium artium ita insignis erat, teste Sigeberto, ut etiam philosophis conferretur.“⁶⁾ Insuper metrum cum prosa excoluit Hucbaldus. Porro praeter tres libros de Musica, et unam Eglogam ad laudem Calvorum, omnia ejus alia scripta spectant ad genus hagiographicum. En enumeratio eorum, qui luce publica donati sunt:

1. Vita Sanctorum Cyrici et Julittae martyrum (16. jun. 306?) Apocrypha erant et fabulis plena Passio eorum antiqua, et mar-

¹⁾ Acta SS. O. S. Benedicti t. 5, p. 360, n. 15. — Item Patr. lat. t. 132. p. 575 et seq.

²⁾ Patrol. lat. t. 132, p. 622—628.

³⁾ Ibid.

⁴⁾ Acta SS. t. 2. junii, Prolegom. de S. Gildardo, n. 4 et seq.

⁵⁾ Confer Gams in Serie episcoporum catholici orbis Verbo Rouen et Soissons.

⁶⁾ De scriptoribus Ecclesiasticis, c. 107.

tyrium, sed Hucbaldus „nihil ex eis desumens nisi quod videbatur fide dignum“ pie et eleganter filii et matris invictam constantiam descripsit occasione nacta translationis alicujus partis reliquiarum apud Nivernenses factam.¹⁾

2. S. Theodorici Remensis abbatis (1. jul. 560) officium liturgicum composuerat Hucbaldus, sed duo tantummodo ex toto officio hymni ad nostram notitiam pervenerunt.

3. S. Rictrudis, primae abbatissae Marchianensis in Belgio (14. maii 697) Vita et translatio. Duo secula et amplius elapsa fuerant a morte Rictrudis, quando Hucbaldus ad ejus gesta describenda manum apposuit, sed nihil ex suo Marte proprio fluxit. Nam licet primigenia scripta „in infestatione Normannica deperiissent, primaevam tamen narrationem accepit Hucbaldus partim ex seniorum relatione, partim ex veris schedis. Insuper ne forte dubia pro certis, falsa pro veris assereret, petiit humiliter ut personae non contemendae auctoritatis, ei fidem facerent quod ea, quae referebat, eadem olim litteris tradita fuerant.“²⁾ Unde fide dignus videtur iste scriptor, saltem quoad substantiam rerum. Et de facto fere quidquid scitur et profertur non solum de S. Rictrude, sed etiam de ejus marito S. Adalbaldo, eorumque natis Mauronto et Eusebia virgine, ex Hucbaldo mutuatum est.³⁾

4. S. Aldegundis, V. et Abbatissae Melbodiensis in Belgio (30. jan. 684) Vita. In hac scriptione Hucbaldus multa mutuatum est, solo stylo mutato, e primigenia vita ejusdem sanctae, quae habebat pro auctore coevum et forsam familiarem scriptorem.

5. S. Lebwinii, Frisonum Apostoli Vita et Passio (12. nov. 776).⁴⁾ Hanc scriptionem multis laudibus merito prosequuntur historici et hagiographi, tum ob gravitatem rerum in ea contentarum, tum ob elegantiam styli. E quibus vero fontibus hauserit biographus, ignoratur, tacent auctore, sed facile creditur ex bona fide et speciali veritatis amore quibus imbutus erat Hucbaldus, illum nec dubia admisisse pro certis, nec falsa pro veris.

6. Vita seu legenda S. Jonati, primi abbatis Marchianensis (1. aug. 640). Brevissima est et quasi simplex excerptio Vitae S. Rictrudis.

19. Anonymus Belga seu Broniensis.

Eodem tempore ac Hucbaldus id est adhuc vivente S. Gerardo Broniensi, cui dedicata est lucubratio, de qua nunc agitur, conscripta fuit pie, clare et sat eleganter Relatio translationis

1) Patrol. latina t. 132, p. 855 et seq.

2) Prológ. in Vitam S. Rictrudis.

3) Extat tamen vita propria S. Eusebiae Virginis (16. mart. 680) sed incorrecte scripta est et aliunde ex Hucbaldo desumpta.

4) Patrol. lat. t. 132 p. 876—894.

e Diogilo prope Parisios apud Bronienses monachos corporis S. Eugenii Toletani Episcopi (15. nov. 120?)¹⁾ Insuper in ea includitur fundatio ipsius monasterio Broniensis, quam postea ex isto anonymo desumens secundus S. Gerardi biographus paulisper, proh dolor! deturpavit.

20. Floharius, San. Dionysianus monachus.

Occasione libelli translationis S. Eugenii Toletani aliquid hic dicendum videtur de Passione ejusdem sancti et miraculis ab eo apud Diogilenses patrat, quae litteris exarata paucis annis ante dictam translationem recenter duabus vicibus luce publica donata sunt tacito nomine auctoris.²⁾ Sed jam antea eadem scriptio in compendium fideliter et cum nomine proprio auctoris (Floharii) redacta erat a Molano et Launoio³⁾: Scripsisse autem Floharium ante annos 910—930 inde eruitur quod tunc temporis corpus sancti Eugenii Diogili adhuc asservabatur et nondum fuerat translatum. Floharius aliunde simpliciter et sine fuco refert ea, quae narrat, non dissimulans quod usque ad octavum seculum nomen S. Eugenii permansit fere incognitum.⁴⁾ Nihil vero proprio Marte fingens, ut apparet; de ortu tacet et de laboribus apostolicis ejusdem sancti. Quocirca quando lecta est haec scriptio in aliquo Leodiensi synodo (940?) approbata fuit unanimi consensu Patrum.⁵⁾ Qua sententia non obstante omnem ei fidem abjudicant Launoii, Tillemontius, eorumque sequaces: sed immerito ut videtur. Nam quando scribebat Floharius Diogilenses magno honore prosequerantur S. Eugenium, invitantibus et compellentibus miraculis, quibus micabat tumba martyris. Unde quae referebantur de illo et de ejus martyrio vera esse debebant saltem quoad substantiam rerum, Deo miraculo non operante ad falsa commendanda.

21. Anonymus Andaginensis.

Iste anonymus, cui debetur Vita S. Beregisi fundatoris et primi abbatis asceterii Andaginensis (2. oct. 720?) fatetur ingenue quod currebat annus 937 Christi seu 223 post decessum Beregisi quando ipse manum apposuit ad suam scriptionem.⁶⁾ Unde per seipsum nulla auctoritate gaudet. Sed quando addit: „ea tantum a se describi, quae omnium pene circa hunc locum conversantium testimonio, et antiquorum relatione tradita sunt“⁷⁾ nos impellit ad

¹⁾ *Analecta Bolland.* t. 3. p. 28 et seq.

²⁾ Confer *Annales de Philosophie Chretienne*, t. X. ann. 1865, item 2. *Analecta Bolland.* t. 3. p. 131—64.

³⁾ Molanus: *Martyrol.* die 15. nov. Launovius: De duobus Dyonisiis p. 294.

⁴⁾ Vita S. Eugenii n. 7—10.

⁵⁾ V. Vita S. Gerardi Broniensis n. 33 et 34.

⁶⁾ Vita S. Beregisi n. 5.

⁷⁾ *Ibid.* n. 2.

mitiorem sententiam Insuper alibi loquitur de aliqua relatione verissima quam sub oculis habebat.¹⁾ Aliunde eruditus erat iste auctor, multaque ex veteribus chronicis desumpsit ad suam scriptionem perficiendam.

22. Anonymus Tronchiniensis.

S. Gerulphus natione Gandavensis, simplex erat puerulus quando crudeliter trucidatus est in odium Christi a pravo patrino (21. sept. 750?) Porro ejus sepulcrum brevi miraculis claruit ac postea circa annos 930—940 ejus reliquiae Tronchinium translatae sunt. Qua occasione nacta vita Sancti martyris ejusque translatio ab aliquo anonymo litteris sat correcte exaratae sunt rogatu seu jussu nobilis abbatis Gerardi Broniensis cui etiam dedicata est scriptio, de qua hic agitur.²⁾

23. Anonymus Trevirensis.

Dolens quidam anonymus Trevirensis primigenias multorum Sanctorum Trevirensium Vitas periisse in infestatione Normannica, operam dedit ut talis jactura aliquo modo resericaretur, colligendo hinc inde quaelibet fragmenta et documenta quae invenire potuit.³⁾ Sic praesertim egit in laudem S. Felicis, Episcopi Trevirensis (26. mart. 426) qui S. Martini Turonensis coequalis fuerat simul ac amicus. Multa commendatione digna est haec tractatio.

24. Anonymus Gorziensis.

Circa annos 920—940 quidam anonymus Gorziensis enarandam suscepit translationem e Roma Metas S. Gorgonii Martyris (9. sept. 304): quae translatio facta est in anno 765 seu duobus fere seculis ante scriptionem, de qua agitur; sed eam ex documentis haustam primigeniis breviter refert auctor, et statim transit „ad describenda miracula, quae visu et auditu comperit.“⁴⁾ Hinc clare patet qua auctoritate debet gaudere iste anonymus, aliunde eruditus et pius.

25. Winebrandus.

Floruit circa medium decimum seculum apud Arvernos Winebrandus, monachus, cui debetur vita S. Illidii, Claromontani episcopi (5. jun. 387) ejusque monasterii patroni. Duobus libris constat haec scriptio, quae adhuc, ni fallor pro majori parte jacet inedita licet correcte et sat eleganter litteris exarata fuerit, ut conjicitur ex fragmento a Bollandianis edito.⁵⁾

¹⁾ Ibid. n. 12.

²⁾ Vita S. Gerulphi, Prolog.

³⁾ Vita S. Felicis. n. 1.

⁴⁾ Translatio S. Gorgoni n. 1.

⁵⁾ Acta SS. t. 1. junii p. 427—430.

26. Anonymus Burgundus.

Circa idem tempus, id est post vastationes Normannicas et pacem redditam, quidam anonymus qui vitam primigeniam S. Gangulphi martyris (11. maii 760?) non lectione noverat, sed tantum ex relatione aliorum fideli „curam tamen suscepit colligendi quae de isto sancto, ipso iudice comperta erant.¹⁾ Quod perfectit bona fide et sat eleganter. Ejus vero scriptionem paulo post in Saxoniam delatam metricè reddidit Roswitha, celeberrima monialis Gandersheimensis de qua agetur inferius.

27. Anonymus Divionensis.

Circa eosdem annos scribi etiam debuit liber miraculorum S. Apollinaris Martyris (23. jul. 120?) in Burgundia patrum, siquidem inceptus est iste liber occasione infestationis Hungaricae, quae anno 937 contigit, ut probabile videtur. Aliunde pie et eleganter narrat iste anonymus.

28. Anonymus Corbeiensis.

Non longe etiam erat ab iisdem annis anonymus cui debetur Translatio S. Praecordii (1. febr. 550?) ex Anglia Corbeiam sed an fide digna sit sub omni respectu ista scriptio, potest legitime dubitari.

29. S. Odo Cluniacensis.

S. Odo secundus abbas monasterii Cluniacensis et quasi verus ejus fundator habetur, computatur etiam inter praecipuos litteratos decimi seculi forsanique princeps fuit scriptorum mysticorum huius aetatis. Ex ejus vero scriptis quatuor tantum inveniuntur generis hagiographici nempe:

1. Liber de reversione (e Burgundia Turones) S. Martini.²⁾ Aliquoties dubitatum fuit de authenticitate istius scriptionis sed melior est nostro iudicio conditio possidentis.

2. Officium ejusdem S. Martini.³⁾

3. Vita S. Gregorii Turonensis (17. nov. 596)⁴⁾ fere unice ex ejus scriptis desumpta.

4. Vita S. Geraldii, Comitis Auriliacensis (13. oct. 909). Haec ultima scriptio in quatuor libros distributa magni momenti est, omnique laude digna videtur sive quoad res in ea contentas sive quoad styli elegantiam et nitorem. Insuper clare elucent in ea Odonis sincerus veritatis amor, impensaue sollicitudo ad discernenda vera a falsis et certa a dubiis. Nam ipse refert: „Quomodo peregrinatus est ad sepulcrum B. Geraldii et accitis illie quatuor

¹⁾ Prolog. in vitam S. Gangulphi.

²⁾ Patrolog. lat. t. 133 p. 817 et seq.

³⁾ Ibid. p. 513—518.

⁴⁾ Ibid. t. 71 p. 115—128.

ex his, quos ipse Comes Auriliacensis nutrierat, sed et aliis quampluribus, de moribus et qualitate vitae ejus eos disquisivit nunc simul, nunc semotim quid singuli dicerent, vel si sibi in dicendo concordarent, certatim inquisivit, tacite expendens si talis vita ejus esset cui miracula convenissent.¹⁾

30. Joannes Salernitanus.

Ab Odone magistro secerni non potest Joannes ejus discipulus, et biographus. Roma oriundus erat et canonicatu jam potitus Joannes, quando Odoni adhaerens (anno 939) omnia reliquit ut fieret tanti magistri discipulus et simul monachus Cluniacensis. Duobus post annis familiaris sancti factus comesque peregrinationis assiduus, multa vidit vel audivit ex ore Odonis, quae postea scripto mandavit in libro vitae et miraculorum Patris Ordinis Cluniacensis. In exemplum simplicitatis et veritatis studii dari potest iste hagiographus cui aliunde non deerat acuitas mentis et intellectus: „Nam praeter dicta et facta, quae ipse in magistro observaverat, nihil litteris mandavit nisi quod ab Arnulfo magistro, ab Hucberto Tiburtino, a Landrico, et aliis familiaribus Sancti resciverit.“²⁾

Dolendum tamen est quod nimis frequenter in digressiones excurrat iste biographus, nec temporum seriem, seu eventuum ordinem logicum sufficienter conservet.

(Continuatur in seq. fasc.)

Das Collegium St. Bernardi in Prag.

Ein culturhistorisches Bild in honorem St. Bernardi von P. Sigismund Bredl,
S. O. Cist.

(Fortsetzung zu Heft IV. 1892. S. 493—503.)

Da das erwähnte, vom Jahre 1637 an bewohnte Collegium St. Bernardi zu klein und beschränkt war, das „dormitorium asseribus tantum ad instar columbarii distinctum“ war, wie Abt Dr. Quirin Mickl sagt, so wurde ein neues geräumigeres Haus in der Nähe des königlichen Münzamtes von den Grafen Waldstein gekauft, das von allen bürgerlichen Lasten frei war und „domus miczaniana“ Mičani-Haus genannt wurde. Dazu kaufte man später die angrenzende Baustelle des abgebrannten und demolirten, sogenannten Dobřenský-Hauses mit einem noch innerhalb der alten Stadtmauern gelegenen Garten. Der Kaufschilling sowie auch die auflaufenden Einrichtungskosten des Gebäudes wurden grösstentheils

¹⁾ Praefatio in vitam S. Geraldii.

²⁾ Prolog. in vitam S. Odonis.